



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

[Subsect. 1. Autoritate ostenditur, & Conclusio.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

esse verum dicere, de essentia actuali, quod existat, & semper verum de essentia in potentia, quod non existat, Adamique essentiam olim fuisse actua-lem & modo in potentia.

9 Sed contra: quia vel per essentiam in potentia intelligis id, quod est in potentia passiva ad esse essentiae materiam, scilicet primam, quae est in potentia, ut aduentu formae recipiat esse essentiale rosae, v. g. vel intelligis integram essentiam, de qua tota dum est in virtute suarum causarum, verum est dicere, quod sit potens ad existendum, sed non existat: si primum, insolubile relinquitur argumentum, quia materia non est essentia rosae, sed pars solum eius; si secundum, è contra est quia eadem numero essentia est illa, quae virtute continetur in suis causis, & illa, quae postea existit extra ipsas, sed existentia nequit affirmari de illa, quando virtute continetur in suis causis: ergo non est idem realiter cum sua essentia.

10 Quinto sic argumentor: existentia non est de conceptu essentiali, & quidditativo essentiae creaturae, alias essentia creata concipi non posset absque existentia, nec existentia contingenter conveniret creaturis & beneficio voluntatis liberae Dei: sed necessario sicut earum essentia: ergo distinguuntur aliquomodo à parte rei; sed non ut non ens habente, nec solum ratione: ergo distinguuntur ut ens à modo, vel ut una formalitas ab alia: prima minor sic probatur: quia ea, quae veram, realem & actualementis rationem participant, invicem distingui nequeunt, ut ens à non ente, quia hoc solum pacto distinguuntur ens, & eius contradictorium, sed essentia actualis, de qua solummodo controvertimus, & existentia veram, & realem actualementis rationem participant: ergo distinguuntur tanquam non ens ab ente; secunda pars minoris sic probatur: distinctio rationis vel est distinctio excludentis ab excluso, vel includentis ab incluso: sed neutro modo distinguuntur essentia, & existentia: ergo non primum, quia essentia actualis includit existentiam, cum actuali ab actualitate dicatur: nec secundum, quia vel essentia includeret existentiam vel existentia essentiam; sed nec primum, nec secundum: ergo non primum, quia potentia non includit actum in sua constitutione, per quem determinatur; sed existentia est actus determinans essentiam: ergo, nec secundum; quia potentia debet esse extra rationem actus.

11 Ultimo sic probatur: essentia Petri est eadem permanens heri, & hodie, atqui existentia non est permanens sed successiva: ergo existentia Petri non est idem ex natura rei, cum essentia Petri, quia repugnat eandem realitatem simul esse successivam & permanentem; Maior est certa; minor sic probatur. Petrus existere hodie, non est extitisse heri, quia existens Petrus heri, potest non existere hodie, poterat enim nocte praecedenti destrui; ergo existentia hodierna Petri non est existentia externa, quia si esset eadem existentia hodierna, & externa, redderet Petrum simul existentem hodie, & heri, imò & per totam aeternitatem necessario.

SVBSECTIO II.

Sententia ponitur.

12 Secunda sententia asserit existentiam distingui ab essentia actuali tanquam vnam rem ab alia re, ac proinde in toto rigore realiter: hanc sententiam defendit Caietanus tract. de ente & essentia. q. 11. cap. 5. similiter eam docet Ferrar. Capreol. & ca-

teri Thomistae, & probatur sic primo à Caietano: Omne esse irreceptum est infinitum simpliciter; sed nullum esse creaturae est infinitum simpliciter: ergo nullum esse creaturae est esse irreceptum: ergo omne esse creaturae distinguitur ab essentia creaturae secundum rem; quia omne quod recipitur, distingui debet ab eo à quo recipitur realiter. Minorem ait Caietanus esse per se notam. Maiorem ita probat: omne purum esse est esse infinitum simpliciter, quia ideo esse limitatur, quia non est purum; sed praedicamenti permixtum, à quibus si depuretur, erit infinitum simpliciter; sed omne esse irreceptum necessario esse debet purum, seu depuratum à permixtione aliorum praedicamentorum; erit ergo infinitum simpliciter.

Confirmatur: si albedo ponatur irrecepta sen irreceptibilis in subiecto, erit infinita in genere albedinis: ergo & esse irreceptum in essentia erit infinitum in ratione essendi.

Confirmatur secundo, omnis limitatio opposita infinito simpliciter, vel provenit à differentia contrahente, vel à subiecto recipiente; sed existentia, seu esse creatum limitari nequit per differentiam contrahentem, cum sit ultima actualitas; limitabitur ergo à subiecto recipiente, essentia scilicet, à qua necessario secundum rem distinguitur.

Secundo principaliter sic probatur: quia omnis potentia distinguitur realiter ab actu, cuius est potentia, sed essentia est potentia ad existendum, seu essendum, quae sunt actus illius: ergo essentia distinguitur realiter ab existentia. Maior patet: quia nihil est in potentia, neque est potentia ad se ipsum recipiendum: ergo illud quod est potentia receptiva alterius, distinguitur realiter ab illo.

Tertio sic argumentor: Id quod convenit naturae specificae absque omni causa effectiva, distinguitur realiter ab eo, quod convenit illi per causam effectivam; sed praedicata quidditativa, seu essentia convenit naturis specificis creatis absque omni causa effectiva, ut ostendit haec propositio: Rosa est substantia corporea, quae seclula omni causalitate effectiva est vera (est enim propositio aeternae veritatis) existentia, seu esse convenit illis, media aliqua causa effectiva, ut de se patet: ergo esse, & existentia distinguuntur ab essentia creata.

Ultimo sic probatur: de ratione entis creati est compositio aliqua realis, alias ens creatum pertinere posset simplicitate diuinam; sed nulla alia compositio convenit illi, nisi compositio ex esse, & essentia: ergo omnis creatura est composita ex essentia, & existentia, seu esse; atqui omnis compositio realis est distinctio vniu: ergo existentia seu esse, & essentia in creatura distinguuntur realiter.

SECTIO II.

Nostra Sententia ponitur, & probatur.

SVBSECTIO I.

Autoritate ostenditur Conclusio.

Prima conclusio: esse actuale, seu existentia nullo modo distinguitur à parte rei ab essentia actuali creaturae. Haec sententia communiter defenditur à Doctoribus Societatis Iesus.

Probatur primo ex Aristotele qui lib. 7. cap. 6. à principio usque ad finem capituli, non solum docet, sed etiam probat euidenter existentiam, seu esse non distingui à quidditate, seu essentia. Verba Aristotelis in principio Capituli haec sunt: Vtrum autem quidditas, & vnum quodque idem sint, an diuersa, ex-

pendendum

Quæst. II. Vtrum essentia disting. &c. 5

pendendum est; erit enim operæ pretium ad considerationem de substantia: nam & vnumquodque nihil aliud esse videtur, quam ipsiusmet substantia; quidditas autem substantia cuiusque esse dicitur.] & paulo infra [In his autem, quæ per se dicuntur, semper necesse est eadem esse, ut si quæ sint substantiæ, quibus aliæ substantiæ non sunt, neque naturæ aliæ priores, quales nonnulli dicunt rationes esse; nam si aliud fuerit ipsum bonum, & boni esse; animalque, & animalis esse, atque etiam ens & entis esse: erunt illæ perfectio aliæ substantiæ, & naturæ præter eas, quæ ponuntur, prioresque substantiæ si quidditas substantiæ est. Quod si abiunctæ sunt à se inuicem, aliarum quidem non erit scientia, aliæ vero non erunt entia. Abiunctas autem esse dico, si neque ipsi bono insit boni esse, neque huic esse bonum, scientia enim cuiusque cognitio quidditatis illius est, idque in bono, & ceteris eodem modo se habet. Quare si nec boni esse bonum est, nec esse entis erit ens, nec vnus esse vnum: similiter autem aut omnia suæ quidditates sunt, aut nihil. Itaque si neque ens esse ens est, neque aliorum vllum. Præterea cui non insit boni esse, id bonum non est. Necesse est igitur vnum esse ipsum bonum & boni esse, ipsumque honestum, & honesti esse, & omnino quæcumque non per aliud, sed per se dicuntur; hoc enim satis est, si detur etiam si formæ nullæ sint; magis autem fortasse, si formæ sint.]

Simul etiam perspicuum est si tales sint ideas, quales quidam esse inquirunt, non fore subiectum substantiam; has enim necesse est quidem substantias esse, de subiecto autem non dici; alioquin erunt participata.

Ex his rationibus patet, rem ipsam & eius quidditatem, seu esse vnum atque idem, non per accidens esse; & scire vnum quodque nihil esse aliud, quam eius quidditatem nosse. Itaque per expositionem necessario efficitur ut ambo vnum quiddam sint. Absurdum porro videtur, si quis vnicuique quidditati nomen imponat, erit enim præter illam alia quidditas equi. At vero quid prohibet etiam nunc quædam esse, quæ continuo sint suæ ipsorum quidditates, si quidditas substantia est: quinimo non solum vnum sunt, sed ratio eorum est eadem, ut ex dictis patet: neque enim per accidens vnum ipsum, ac vnus esse, vnum sunt. Præterea si aliud erit, in infinitum fiet progressio: hoc enim erit quidditas vnus, illud vero vnum ipsum: quare & in illis eadem erit ratio.

In his igitur, quæ prima, & per se dicuntur, quidditatem, & rem ipsam vnum, atque idem esse, ex his, quæ dicta sunt, perspicuum est: sophistarum vero redargutiones, quæ contra hanc sententiam afferri solent, qualis est illa, sintne idem Socrates, & Socratis esse, non obscurum est eadem solutione dissolui. Nihil enim interest, ex quibus rem confirmas, & ex quibus ea, quæ contra obijciuntur, dissolvas. Quo igitur pacto quidditas, & res, quæ idem sint, & quo pacto non idem, hæcenus dictum est.]

Eccè verba clarissima Aristotelis, ubi manifeste duabus demonstrationibus probat nostram veritatem, & refutat Aduersariorum sententiam. Prima continetur in parapho in his, vsque ad illa verba, neque huic esse bonum, quæ sic efformatur. Quia si esse, seu existentia distingueretur ab essentia, & quidditate, quidditas & esse non vnum, sed duo entia essent, quia ea, quæ distinguuntur, non vnum, sed duo sunt, atqui hoc est summum absurdum (inquit Aristoteles) quia iam quidditas non esset quidditas; patet hoc: quia quidditas est primo, quod dat esse

cuius quidditas est; ac proinde est id, quod magis intime, & necessario conuenit illi, sed si distingueretur ab esse seu rei cuius est quidditas, primum non daret esse, quia vnaquæque rei per seipsam habet esse, & non per aliud, quia ipsa est suum esse, vnde antequam adueniat id, quod distinguitur ab ipsa, iam per se habet esse: ergo res non habet esse per quidditatem, si distinguitur ab ipsa re, sed per id, quod non distinguitur ab ipsa: ergo quidditas erit quidditas, & non quidditas, & essentia erit, & non erit essentia; quod est summum absurdum; quia impossibile est idem simul esse, & non esse.

Confirmat Aristoteles eodem parapho: quia sine quidditate non est res, sed si quidditas distingueretur à re, & ab esse, iam res sine quidditate haberet esse: ergo quidditas non distinguitur à re. Minor sic probatur. Quia id, quod distinguitur ab aliquo, habet esse distinctum ab illo; sed esse distinctum non habet esse ab illo, à quo distinguitur; ergo. Verget amplius, quia inter rem, & essentiam, seu quidditatem non potest dari prioritas & posterioritas: quia prioritas, & posterioritas sunt oppositiones reales; sed inter essentiam & rem ipsam non potest dari oppositio, quia essentia constituit rem; vnum autem oppositum destruit aliud: ergo essentia sicut non destruit, sed potius dat esse, ita non potest esse opposita rei, cuius est; quia iam esset, & non esset opposita. Tandem quia de rebus datur scientia, sed si quidditas non esset res, vel esse illius, sed quid distinctum ab ipsa de rebus non daretur scientia: ergo quidditas non distinguitur à rebus. Minor patet: quia scientia agit de quidditate rerum; quia medium præcipuum, ad agendum de rebus est definitio earundem, quæ quidditas rei est, quo medio demonstrat quidditatem esse omnino idem cum rebus; quia quidditas est id, quod primo constituit ipsam rem, & sine qua neque esse, neque intelligi potest res; atqui si distingueretur essentia, seu quidditas à re, esse posset, & intelligi sine re, & res sine quidditate: ergo si distinguitur, falsa erit cognitio illa; ac per consequens non erit scientia. Vnde concludit in illo parapho Aristoteles illis verbis: [quod si abiunctæ sunt à se inuicem, aliarum quidem non erit scientia; aliæ vero non erunt entia; abiunctas autem esse dico si neque ipsi bono insit boni esse; neque huic esse bonum; scientia enim cuiusque cognitio quidditatis illius est, idque in bono, & ceteris eodem modo se habet.]

Secunda demonstratio ponitur ab Aristotele parapho, Quare si nec boni, vsque ad illa verba: Si formæ sunt, quæ sic efformatur; quia si esse distinguitur ab essentia, & res à quidditate, sequetur euidenter rem esse nihil, & non rem; sed hoc est impossibile: ergo res, seu esse non distinguitur ab essentia. Sequela Maioris sic patet: quia vnumquodque per id distinguitur à nihilo, & non est nihilum, per quod habet maxime necessarium esse, & magis intimum esse, per se & non per aliud; sed quidditas est primum & magis intimum esse rei: ergo ut res non sit nihil, debet habere quidditatem per se ipsam, & non per aliud distinctum à seipsa; sed si quidditas, & essentia distinguitur à re, res non habebit quidditatem, & essentiam per seipsam, sed potius per aliud, v. g. Ideo natura non est subsistens per se, sed per aliud, quia subsistentia per quam subsistit, non est ipsa natura; & ideo anima rationalis non intelligit per se, sed per aliud, quia intellectio per quam intelligit, non est ipsa entitas animæ; sed res habet primum esse, & intimum esse per quidditatem, & essentiam distinctam ab ipsa re: ergo non habet illud esse per se ipsam, sed per aliud; ac proinde non erit primum esse.

Verget Aristoteles efficaciter, quia res immediate essentialiter opponitur nihilo, quia nihil est contradictorium rei, ac proinde immediate oppositum illi: eo quod contradictoria immediate opponantur; sed si quidditas distingueretur à re ipsa, res non opponeretur immediate nihilo quidditati, & essentialiter, sed mediate hoc est mediante quidditate quia quidditas, & essetia per vos, quatenus distincta à re, est medium inter rem, & nihilum: ergo ne hæc absurda sequantur, dicendum est, quidditatem non distingui ab ipsa re, seu ab esse; & existentia. Vnde hæc verba profert Aristoteles [quare si nec boni esse bonum est, neque esse entis erit ens, nec vnius esse unum, similiter autem aut omnia suæ quidditates sunt, aut nihil. Itaque si neque entis esse ens est, neque aliorum vllum; & omnino quæcumque non per aliud, sed prima, & per se dicuntur.] Et paulo infra concludit: ex his rationibus patet rem ipsam, & eius quidditatem vnum, atque idem non per accedens esse. Itaque per expositionem necessario efficitur, ut ambo vnum quidem sint. [Quibus prolatis concludit Aristoteles magis conueniens esse quidditatem, & esse non distingui, neque vllum posse contra hoc inconueniens reperiri, quod his verbis docet [At vero quid prohibet etiam nunc quædam esse, quæ continuo sint suæ ipsorum quidditates, si quidditas substantia est, quinimo non solum vnum sunt, sed ratio eorum est eadem, ut ex dictis patet.]

Tandem concludit Aristoteles confirmando supradicta euidenti demonstratione de processu in infinitum, de quo in discursu huius questionis latissime à nobis agitur; videatur ibi. Vnde hic breuiter sic ponitur: quia si quidditas, & essetia distingueretur ab esse, & existentia rei, sine dubio daretur processus in infinitum inter essetias, & existentias; sed hic nullo modo conceditur; ergo non distinguitur essetia ab existentia, seu esse: sequela maioris sic probatur: quia ipsa existentia distinguitur ab essetia rei, essentialiter distinguitur ab alia existentia, & habet suæ prædicata æternæ veritatis: ergo habet suam essetiam, sed per vos omnis essetia distinguitur ab existentia: ergo hæc essetia existentia distinguitur ab ipsa existentia. Tunc sic: illa existentia, quæ distinguitur ab hac secunda essetia etiam habet prædicata æternæ veritatis, & distinguitur essentialiter ab alio ante: ergo habet suam essetiam; iterum illa tertia essetia debet distingui propter eandem rationem ab existentia, & sic procedetur in infinitum. Quem processum his verbis indicat Aristoteles: At vero quid prohibet, etiam nunc quædam esse, quæ continuo sint suæ ipsorum quidditates, si quidditas substantia est? quin imo non solum vnum sunt, sed ratio eorum est eadem, ut ex dictis patet: neque enim per accedens vnum ipsum, ac vnius esse vnum sunt. Præterea. Si aliud erit, in infinitum fiet progressio; hoc enim erit quidditas vnius, illud vero vnum ipsum; quare & in illis eadem erit ratio.]

Concludit Aristoteles omnes has rationes esse adeo euidentes, ut argumenta in oppositum ab aduersariis proposita, & proponenda, sint omnino sophismata, nugæ, & crepundia puerorum; quod his verbis docet Philosophus. In iis igitur, quæ prima, & per se dicuntur, quidditatem, & rem ipsam vnum, atque idem esse ex iis, quæ dicta sunt perspicuum est. Sophistarum vero redargutiones, quæ contra hanc sententiam afferri solent, qualis est illa, sint ne idem Socrates, & Socratis esse, non obscurum est eadem solutione dissolui. Nihil enim interest, ex quibus rem confirmes, & ex quibus ea, quæ contra obijciuntur, diluas. Quo igitur pacto, quidditas, &

res quæque idem sint, & quo pacto non idem, hæc tenus dictum esto.]

Secundò, ex Aristotele, qui 4. *Metaph.* 3. & 5. *Metaph.* 14. & 10. *Metaph.* 8. ait: ens adiunctum homini, nihil aliud significare, quam hominem significat, ut vero intelligeremus loqui ipsum de ente existente, sic ait paulo post: [Ens vtrique homo actus in essetia idem esse vtrique ratum manet.] Vbi aperte ait, hominis actualitatem, & esse identificari cum essetia; sed existentia est actualitas, seu esse hominis: ergo essetia, & existentia in homine non distinguuntur à parte rei ex Philosopho.

Clarius vero loquitur Aristoteles 6. lib. *Metaph.*, ubi sic ait: [o vna hoc quidem ens si enim non hoc, iam igitur plura vtrique; o vna, & esse erunt; quod manifestum, impossibile quidem venit.] Sic Philosophus, ubi clarissime asserit, o vnam, id est, essetiam; nam ut ait D. Thomas de *duabus cap.* 2. o vna apud Græcos, idem est quod essetia apud nos; & idem asserit Boëtius libro de *duabus naturis*, idem esse, quod existere, seu esse & impossibile est, inquit Philosophus, essetiam, & existentiam, seu ens non esse idem; ubi ens, esse, & existere tanquam synonyma docet esse; & simul asserit omnino identificari cum essetia.

Loco autem illius nominis ens, seu esse, est in Græco Verbum quod apud omnes Græcæ linguæ Doctores significat idem, quod ex isto; & paulo post ait Philosophus: [ens vtrique operans o vna est in toto actu esse.] Quibus verbis explicat quod fuerit ens illud, quod dixerat esse o vnam, id est, essetiam; ens enim operans actu, esse ait tale ens, de quo loquutus fuerat nomine o vna, sed ens operans necessario est ens existens: ergo in sententia Philosophi essetia, & existentia, seu esse sunt idem.

Tertio probatur verbis clarissimis Diui Thomæ de ente, & essetia *capit.* 2. §. non etiam, ubi sic ait: [non enim potest dici quod essetia significet relationem, quæ est inter materiam, & formam, vel aliquid superadditum illis, quia hoc de necessitate esset accedens extraneum à re; nec per eam res cognosceretur; quæ omnia essetia conueniunt; per formam autem, quæ est actus materiæ, materia efficitur ens actu, & hoc aliquid; vnde illud, quod superuenit, non dat esse actu simpliciter materiæ, sed esse actuale; relinquatur ergo quod nomen essetia in substantiis compositis significat illud, quod est ex materia, & forma actualibus compositum; & huic positioni consonat verbum Boëtii in commento Prædicamentorum, ubi docet quod o vna significat compositum actuale:] quibus verbis clarissime asserit D. Thomas, essetiam hominis esse compositum actuale ex materia, & forma actualibus; atque compositum actuale ex actualibus partibus est existens. Ergo essetia, & existentia hominis per Diuum Thomam sunt idem.

Confirmat hoc ipsum paulo post Diuus Thomas his verbis: [Huic etiam ratio concordat, quia esse substantiæ compositæ non est tantum formæ, nec tantum materiæ, sed ipsius compositi; essetia autem est secundum quam res dicitur esse, vnde oportet, ut essetia, quæ res denominatur ens, non tantum sit forma, nec tantum materia, sed vtrumque; quamvis eiusmodi esse, siue essetia sola forma sit causa.]

Quibus verbis Diuus Thomas, conuertit esse, & essetiam; sed esse est existentia; ergo existentia, ac essetia sunt idem conuertibiliter. Minor tamen: nam esse est, quod deseruit propositionibus significantibus existentiam, & sic non valet: Adam est animal rationale: ergo Adam habet esse; Adam

Quaest. II. Vtrum essentia disting. &c. 7

est, quia verbum est, absolute; & esse significant existentiam. Præterea, quia ait: essentiam esse ens, cuius causa est sola forma; atqui essentia ratione sui non habet causam, vt vos dicitis; ergo ratione existentiae habet illam: ergo identificatur cum illa; quia si non identificaretur cum ipsa, non diceretur ratione alterius à se distincti habere causam, etiam si vniretur cum illo; alias verbum Diuinum ratione humanitatis, cui vnitur, diceretur habere causam.

22 Dices Aristotelem, & Diuum Thomam solum loquutos esse de rebus compositis, non autem de simplicibus.

23 Sed contra; quia Aristoteles clarius de intelligentiis, quam de rebus compositis loquitur, asserendo intelligentias non distingui à propriis existentibus; sed potius essentiam, & existentiam esse idem in illis. 8. enim *Metaphysicae*, textu 16. sic ait: Quaecumque nec sensibilem; nec intelligibilem materiam habent, seipsas sunt ens; & non per aliquid sibi additum; sed ens, & existentia idem sunt; & intelligentiae nec sensibilem, nec intelligibilem materiam habent, sed sunt simplicissime entitates: ergo in intelligentiis idem, & essentia ipsarum. Vnde intelligentiae non sunt, neque existunt per existentiam additam essentiae suae & ab ea re distinctam, atque diuersam.

24 Præterea in abstractis à materia, idem est quidditas, & habens quidditatem, vt Aristoteles ait: 3. *de anima* textu. 9. Sed habens quidditatem est existens: ergo in rebus abstractis, & simplicibus existentia est idem quod essentia.

25 Amplius, si in intelligentiis esset compositio ex essentia, & existentia, vt voluit Thomista, esset in ipsis potentia; nam essentia habet potentiam ad existendum; sed Aristoteles omnem remouet potentiam ab intelligentiis; nam libro 9. *Metaphysicae*, textu 17. ait: omne æternum carere potentia, & solum ibi excipit caelum; quod habet potentiam ad vbi, ratione cuius est mutabile, & variabile & 12. *Metaphysicae*, textu 3. scribit: In intelligentiis nullam esse potentiam in sua substantia; cuius rei hanc rationem reddit, vtroque in loco; cum omnis, inquit, potentia sit contradictionis, si intelligentiae haberent potentiam, posset esse, & non esse; quare, & motus coelestis, & intelligentiarum, atque adeo ipsius mundi aeternitas tolleretur.

SVBSECTIO II.

Rationibus probatur nostra conclusio.

26 Probatur primo ratione, quia praedicata quidditativa realia non distinguuntur à parte rei ab existentia reali, quae immediate correspondet talibus praedicatis quidditativis; sed praedicata quidditativa realia sunt vera, propria, & realis essentia, & existentia illis immediate correspondens, est existentia propria talis essentiae: ergo essentia propria vera & realis non distinguitur à parte rei ab existentia propria.

27 Prima pars minoris est clara: Tum quia praedicata quidditativa realia sunt primum, & intimum constitutum rei, sine quo nec esse, neque intelligi potest res; sed hæc est definitio essentiae propriae, & vera: ergo definitio essentiae conuenit praedicatis quidditativis, &c. Ergo illa sunt vera propria, & realis essentia. Tum etiam, quia ideo ens, substantia, viuens, sensibile, rationale sunt essentia hominis, quia sunt praedicata quidditativa illius rei sunt vera, propria, & realis essentia.

Secunda Pars non est minus euidens; quia 28 illa est existentia propria alicuius, quae immediate actuat, & actuale reddit id, cuius est existentia; quia existentia est actus essendi simpliciter; sed essentia immediate actualis redditur, & in esse actualis constituitur per existentiam, quae illi immediate correspondet: ergo existentia correspondens essentiae, & praedicatis quidditativis, est propria existentia essentiae, & praedicatorum quidditativorum.

29 Maior præcipui syllogismi est euidens. Quia hæc sunt praedicata quidditativa, quae immediate correspondent existentiae; ens vt sic, existentia vt sic, substantialis, vel accidentalis, & differentia essentialis existentiae; sed hæc praedicata quidditativa communia, & differentia specialis, per quam existentia distinguitur à subsistentia, & aliis, sunt idem cum existentia, & non distinguuntur ab illa, quae eis immediate correspondet, & à quibus constituitur essentialiter, & quidditative existentia: ergo praedicata quidditativa realia sunt idem, & non distinguuntur à parte rei ab existentia reali, quae correspondet immediate talibus praedicatis quidditativis. Minor hæc sic probatur: quia gradus *Metaphysici* communes, & particulares differentia metaphysica alicuius metaphysici constituti, sunt idem à parte rei cum ipso, & non distinguuntur à parte rei vlllo modo à constituto metaphysico per tales gradus. v. g. ens, substantia, corpus, animal rationale, non distinguuntur à parte rei ab homine, sed sunt idem à parte rei cum illo; sed illa praedicata quidditativa sunt gradus metaphysici, per quos constituitur existentia essentialiter: ergo praedicata quidditativa realia, quibus immediate correspondet existentia, sunt idem realiter cum illa, & nullo modo à parte distinguuntur ab ipsa.

30 Tunc sic: in homine datur vera, & propria existentia, quae immediate correspondet essentiae hominis, & per quam constituitur existentia hominis quidditative in esse talis existentiae distincta ab existentia arboris, &c. Sed essentia vt sic quidditative constituit existentiam, vt iam probatum manet, est idem cum existentia vt sic, & non distinguitur ab illa, quae ei immediate correspondet, & quae constituitur ab essentia vt sic: ergo essentia hominis est idem à parte rei omnino cum existentia hominis, & non distinguitur ab existentia hominis. Consequentia hæc est euidens: quia quiddid conuenit superiori primo intentionaliter, conuenit omni contento sub illo, v. g. quia homo est animal rationale, essentialiter; Petrus etiam est essentialiter animal rationale; & quia homo est risibilis, Petrus est risibilis. Quae veritas innititur illi euidentiſſimo principio Dialectico: Dici de omni; sed essentia vt sic conuenit esse idem realiter cum existentia propria, quam constituit immediate: ergo omni essentiae conuenit esse idem cum existentia propria, quae illi correspondet essentialiter, & quae constituitur ab ipsa; sed essentia hominis est vera, & propria essentia, & existentia hominis vera, & realiter est existentia propria essentiae hominis, & non alterius: ergo essentia hominis est idem realiter cum existentia hominis.

31 Declaratur à simili: ideo essentia albedinis non distinguitur ab ipsa albedine, & essentia quantitatis ab ipsa quantitate, & essentia Angeli ab Angelo nullo modo differt à parte rei, quia essentia illorum quidditative constituit illa, ac proinde per identitatem, quia cum constitutio essentialis sit omnium maxima, debet necessario esse per maximam omnium vnionem constitutui cum constituto; sed maxima omnium vnio est per identitatem: ergo essentia